

Chemia.
118.

VINDICIÆ

pro
NATURÆ CONSTANTIA
adversus
AUGUSTUM HAUPTMANNUM,
Dresdensem.

Autore.
JOHANNES Buntebarde/
Ruppin. March.

STETINI,
Typis GEORGII GOETSCHII, 1650.

VINDICIAE

pro

NATURAE CONSTANTIA

scriptus

AB ANTONIO HALLTAMANNUM,

Dresden.

Antoni

JOHANNES, Buchbinder

Ruppin. March.

STETTINI,

THEO. GEORGI GOETZCHM, 1820.

Candido & benevolo Lectori
GEORGIUS KIRSTENIUS, D. & Prof. Regius,
S. P. D.



Vam reverenter Naturam habuerint, & quomodo nunquam non deprecandum esse voluerint elegantissimum illum & constantem rerum ordinem atq; concentum Philosophi ab omni penè ævo saniores, notius est Lector, quam ut prolixè à me à tibi debeat vel possit demonstrari. Soli Paracelsi & ex modernis Chymicis nonnulli, in diversum hinc abeunt; non saltè Naturam esse invalidam, mancã, inordinatam, penèq; emedullatam asserentes; sed & subinde ex se, & suoq; impetu semper & quotidie ruere in pejus, totiq; tandem Systemati totalem minitari ruinam. Quod uti ratione & experientia tanquam manifestissime falsum convincitur, ita non video, quã sine id faciant, nisi fortè ut labefactam velint Hippocrateam & Galenicam medendi rationem; suam vero, & Paracelsi universo mundo commendatam. Idq; haud obscure colligas licet, ex morborum in suo Ente decantatis exaltationibus, & remediorum gradu eminentiori supra Ens morbificum. Qui cum tantus & talis non sit in vulgatis & plebeis medicamentis ex Dioscoride, Galeno, & Hippocrate desumptis; in mineralibus vero adhuc reperiatur profusissime, quod unicè etiam ab iis Medicina & morborum extirpatio petenda & expectanda; Reliqua vero ut imbellis, impotens, inanis, & relollacea secure vel spernenda vel prorsus non attendenda sit. Non equidem nunc dicam de injuria, quæ hinc non solum in creaturas, sed etiam ipsum in Creatorem redundat; quem admodum nec illud, quod de partibus morborum Entitavis earumq; sublimationibus frustra jactatur, siquidem id alibi à me jam rejectum est; Saltem hoc mirari subit in isto genere Philosophantium, quò illi ausint Naturæ negare constantiam, viresq; rerum integras & priscas; quas tamen in metallis & mineralibus fartas tectas adhuc esse quotidie & vident & credunt. Quod si hætenus persuasam, ac suavi in delirio natam illam Medicinam universalem ex Mundi Spiritu, sive primæ illa aqua bylegiali constare dicunt; ille vero Spiritus amplius integer non sit, quia haud exiguus Naturæ statuminator; quò speranda posthac erit perfecta & omnium morborum eradicatrix Medicina? Quin &, si ullum destuvium sive ex Sole, sive ali-

A 2

unde

Unde in hac Sublunaria concedendum est, à quo tanquam à vivifico Nectare in esse & conservari dependeant omnia, credam illud in ea corpora potentius exeri, quæ proximiora sunt, quam quæ in recondito & penè in abisso terra latent, cujus modi sunt Plantæ, præ Metallis. Neq; est, ut hic prætexant fragilitatem plantarum, propter quæm difficulter retineri possit illud Cæli Nectar in tam sordidis & vacillantibus vasibus; Metalla vero & Mineralia tanquam constantia sibi, & magis sint solida, atq; sic aptiora ad mundi illud Sperma vel retinendam vel conservandum. Ut enim ita esset; Quia tamen eodem rore, quo turgent Metalla, vegetabilia adhuc humectantur & nutriuntur, & vero ab his unguentata illa meretrix faciliore opera vel separari queat, vel etiam emedullari, forte adhuc prudentius præ metallis eliguntur vegetabilia, tanquam ad Medicinam præstantiora & commodiora. Aut si cui valentioribus metalla viribus constare videntur, quomodo quoad vim naturæ nostræ adversam in pleriq; id facile possum largiri, Ille tamen & hoc vicissim nobis dare cogitur; Quod sicuti primo ævo omnium rerum natura fuit fortior, ita Metallorum quoq; istis temporibus vis non multo saltem intensior fuerit, sed etiam intensissima. Jam vero per ipsos, morbi in illo gradu Entis non fuerunt tunc temporis constituti, in quo vel hoc ævo; Itaq; nec apud Antiquos, & ut illi volunt, apud Ægyptios opus fuit tanta Medicina, quæ scilicet in gradu eminentiori operaretur, quali hæctenus metalla, atq; sic metallorum & mineralium apud Antiquos in Medicina vel nullus fuit, vel certè obscurus usus. Quod uti in Animadversionibus meis jam tum à me est indicatum, ita prorsus nunc verosimile id fecit doctissimus Conringius, peculiari libro, quem in hanc rem conscripsit, & non ita pridem evulgavit, de Hermetica Ægyptiorum vetere, & Paracelsicorum nova Medicina; quò Te, si placet, Lector remitto. Hui! inquis; si id ita est uti tu dicis, ubi tum manet Chymica Medicinæ antiquitas, ab Ægyptiis tam solemniter emendicata, & in speciem præeminentiæ à nostris Paracelsistis roties, & ad nauseam usq; ebuccinata? Fateor, Antiquitati suam constare Encomium suamq; laudem: Interim nec omnia, quæ nunc reperta sunt, & vera esse constat, si prisca illius ævi gloria & suffragio destituantur, propterea vel deteriora, vel non acceptanda esse illicò pronuntiandum est. Sat antiqua sunt, quæ saltem sunt vera, ipsaq; adeo veritas, nullo indiget temporis calculo ad se tuendum: Unde & sua laus Medicinæ Chymicæ s. sobriæ illi, & cum Dogmatica, sive Galenica prudenter copulata concedi poterat, etiam si

eam

eam nec noverint Aegyptii, nec exercuerint Graeci, nec tradiderint Romani. Nimirum, felicitati temporis adscribendum est: quod usque adeo ferax adhuc sit bonarum artium hoc praesens, quam vel illud Priscorum fuit seculum. Hoc dum illi non advertunt, & vel nostrum Aevum cum superioribus comparandum esse, vel iisdem Naturae bonis instructum negant, non mirum est, illos postea ab Aegyptiis Chymia tria arcescere originem, & proinde infamosum illum de Naturae imbecillitate & inconstantia errorem delabi, ac si haec effecta jam sit, & id amplius operari non possit, quod vel olim. Falsitatem hujus dogmatis jam ante in Animadversionibus meis peculiari capite adversus Hauptmannum, non tam argumentis à sensu & ratione petitis, quam ex proprio ipsius confesso & consensu ostendi. Sed male id habuit Augustum, magnamque sibi, & fama sua, quam, per DEI gratiam, longe lateque per orbem terrarum possidet, maculam inuriturus est, si id impunè ferrem, & ab ipso non essem publice coercitus. Itaque in fasciculum collegit singula rationum momenta & argumenta, minuta, majuscula, medioxuma, quibus ego petendus eram; eaque omnia Scripto suo serio, cum haecenus mera ludicra tradere visus esset, inseruit, pagellasque aliquot non usque adeo insulse iisdem conspurcavit. Lustravi ego, legi, relegi, sed ut ingenue fatear, nil denique depræbendi præter crambem bis coctam, & meras gerras ac nugas, quas vel pueri etiam dedignarentur. Quid facerem interea? Tacere num debui? Sic Augustus forsitan intempestivo tripudio exultasset, quasi jam triumphatus esset Kirstenius: Si vero contradicerem, cum larvis mihi porro negotium fore videbam. Itaque inter istas fluctuationes huc illuc inclinantem tandem tamen præoccupavit amor silentii. Ne verò in fraudem veritatis quicquam omitteretur, & ego saltem aliquid egisse videri possem, quandoque per discursum & ὡς ἐν παρόδῳ meis Auditoribus hanc rem considerandam proposui, & quantum temporis ferre conditio, ac loci potuit, excussi. Quid sit? Unus ex illis, nomine Johannes Buntehardt arripit hoc, juvenis modesti aliàs ingenii, atque à probitate & industria publicè privatimque commendatus; utque sibi hoc negotium adversus Augustum committerem, modeste petiit. Ego, ut valde sum exorabilis, dedi id, & ut vides, ita eo labore defunctus est, ut gratiam fortè Lector, apud te mereri posse videatur, si Tu seposito omni affectu de conatu juvenis judicare velis. Nullam ego limam adhibui, sed quicquid est, uti natum & oblatum est, ita rursus id offero. Tu Lector, pro candore jam tuo, si probè rem gessit, unius juvenis industria & virtuti hoc dabis;

*Sin in aliquibus tibi defecisse videbitur, etate hæc omnia excusari puta-
Cæterum, quia multa præterea effutiit Hauptmannus, quæ meam quoque
ludere existimationem, & alicujus apud Te Lector, iniquitatis ac arrogan-
tiæ me arguere possent, ac si hominibus per vim in hanc scenam protraxis-
sem, mea interesse putavi, breviter si ea lustrentur, & postea diluantur;
ut vel sic Lector, tanto exactius possis dijudicare, utrum ille justas causas
habuerit tantas adversus me querelas instituendi, aut etiam calumniis me
lancesendi? Et ut inde exordiar, statim in limine quiritat, sibi à me in-
juriam fieri, quod in meis Animadversionibus tam duriter, & ferè
calumniose per totum librum sit tractatus, qui tamen nunquam in
suis mei mentionem fecerit, nedum verbulo pupugerit. Quid
audio? An frontem homini Æream esse dicam, quod hoc ipsi dictum pudor-
em non expresserit? Jupiter! negat ullibi se invecum esse in me, cujus
tamen totam Epistolam, Dni Dethardingi primo Discursui de Auro po-
tabili præmissam, ipsissimis meis verbis non tantum false & acerbè per-
strinxit, sed etiam operose confutavit, rejecit, explosit. An igitur Kirste-
nius tam sit exsensus & excors, hoc uti non sentiat? Se esse illum calum-
niatorem & diffamatorem nominis Paracelsici, qui inter nach/inter nach/
& ceteras Pseudo-Chymicorum nunquam ferendas jaçantias perstrinxit:
Se esse illum fluctuantem, qui vel auro potulento nullam, vel certè non ali-
am vim, quàm quæ fortè crudo inest, concessit; Cujus etiam argumenta
& rationes sub examen vocavit Augustus; cujus exemplum de Pœna apud
Ægyptios in Empiricos constituta ex Piccarto; & Actionem ex L. Aquilia
adversus imperitos Medicos instituendam tanquam inepta & incompeten-
tia ipse pipulo excepit, ac malitiose traduxit. Hæc igitur, quia latrabat in
tenebris, & quasi Scyllæus canis sub larva umbræ, protrahendus utiq; fuit
in lucem, ut, quis lucumo ille esset, ab omnibus posset videri. Jure nunc à me
id factum esse nullus dubito. Quinet si conscientiam Augusti aliquis con-
suluerit, non aliud ipsum confido dicturum, siquidem alibi fassus est; in
jure non esse prohibitum, referire. Quod vero liber Adversariorum
meris calumniis & injuriis sit confectus, id certè mendaciter attexit juris,
Legumq; Cultor. Ipsum quod attinet, vix, quantum ego recordari pos-
sum, ter aut quater ejus mentionem feci in universis Animadversionibus;
Si tamen placita illius & dogmata quandoq; stilo vellicari quis prætexat, in
genere id dictum volui, nullius cum opprobrio. Sed illene hoc quoque jus
in me sibi sumit? Tam rabula est, ut etiam carpas, quæ ipse facit. Frustra
proinde*

proinde est, frustra est, quando Lectori id vult imponere, quasi nil præter
Convitia, calumnias & diffamationes in Scriptis nostris circa hanc & alia
as controversias allatum sit. Si omnes Hauptmanni essent Similes, id fore
re illis posset persuaderi: Nunc, cum ficta & minime experta redarguan-
tur, mendacia manifesta explodantur, Fadlantia inaudita increpetur,
numquid tibi id est convitari, diffamare, aut calumniari bambalio? Si
quandoq; hominem propter frivolas ratiocinatiunculas, ut ineptissimum
perstringo, id ut benevole accipiat, velim. Is enim in redargutionibus
meus mos est: Nec tamen injuria esse potest si in ambitiosulum, sciolumq;
Chymicellum dicantur; Siquidem notum in vulgus jam est, quod Stultus
& Stoltus Si! Si! Sed de hoc postea videbimus. Postillà procedit ad alte-
ram sive calumniam sive injuriam, dicitq; me prorsus malitiose inter-
pretatum esse sua studia & vitæ genus, qui tamen pervicaciter ne-
get, unquam se nomen suum mutasse, sive illud de proprio, vel ad-
juncto, seu agnomine, vel etiam de studio intelligatur. Uti para-
tragediat homullus! Scripsimus in Medicaastro juris primum Studio juve-
nem fuisse deditum; mox animum appulisse ad Medicinam, quod nomen
sor dere cum fortè cœpisset, ipsum deniq; ad sectam Hermeticorum mutato
nomine trito, transiisse. An hæc tam atrox injuria vel calumnia est?
Si ipsemet ex suis Scriptis adjudicandus sit, res aliter non habet, quam ve-
dixi. Primo omnium quam vel ullum paragraphum legerat in Corpore
juris, Chymie deditus fuit, atq; unà Medicina, ob summam cognationem,
jam tùm ab initio. Prius ergo Augustus Medicina & Chymie fuit, quam
Legum Cultor. Sed Medici nomen nullibi adscriptum vidi in chartis pub-
licatis; itaq; vel deseruit illud Studium, vel id mutato nomine trito sub
Persona & titulo Spagyrici occultavit hætenus. Quod si ita est, uti reve-
ra est, cur injuriam appellat, quod sine injuria à seipso factum, & tacito
consensu approbatum est? In jure, pergit, licitum est, semper & quan-
docunq; lubet nomen suum mutare aliudq; assumere, modo si id
non fiat in præjudicium tertii. Per me hercle id esto. Nulli unquam
super hac re litem vel movi, vel imposterum movebo. Securus enim sum
earum rerum, quæ meam Professionem non tangunt; quemadmodum neq;
id egre fero, si Trismegisti etiam nomen assumerit Augustus; quod quidem
ipsi omni jure deberi, hæud obscure innuit Concionator Sabbatharius in
pervestigatione Fontium Hornhusianorum. Verum quantumvis hæc ita
haberent, adhuc tamen vereor, ut aliqua Theologi, aut Medici, aut etiam
Juris

Juris Consulti nomen sibi arrogare possit, qui nunquam vel didicit, vel saltem è longinquo inspexit illorum Sacra? Ars sanè Medica longa est, vita vero brevis juxta Hippocratis effatum: Theologia nervosa & operosa: Juris item via prolixa & multis difficultatibus intricata: Chymia deniq; laboriosissima: Singula requirunt totum hominem. Quem si solus & unus Hauptmannus possidet in scrinio pectoris sui, est utiq; de quo ipsi gratuler; precorq; ut ejus similes Cœlum Dresdense plures adhuc producat, si ita Deo visum fuerit: Ita namq; fortunatam demum puto fore Rempublicam Alcumistarum & Carbonariorum! Sed fortassis Augustum non ita pungit, istud, quod de mutato nomine dictum; Id saltem mire illum videtur discruciare, si pro infami talis habendus sit, qui ex castris Legistarum transgreditur ad illa Medicantium. Quis per DEUM, hoc dixit? aut cui id unquam venit in mentem? Profecto vitiligator es Auguste, lites hinc inde consarcinas; & ubi minime opus est, maxime es negotiosus. Ille ne sit infamis qui juris studio relicto ad Medicinam se convertit? Di te perdant pessime, Calumniator. Quod si vero aliquis desertor Studii, sive juris sive Theologie transeat ad Medicos, quid hoc ad Kirstenium? Qui postquam dimissus est à suis preceptoribus ex Scholis trivialibus, nulli unquam Studio, præterquam Medico incubuit. O vipera! sibilare posthac desiste. Neq; te vellicet, quod ex tuis quandoq; chartis unam aut alteram lineam pro stabilienda thesi mea exscripsi; & tamen negem quicquam Scripti Hauptmanniani ad manus meas pervenisse. Certe, nisi id flagitasset Scripti ratio, per quam in Augusti Principia & fundamenta mihi inquirendum fuit, nunquam crede, illius à me vel inspectæ vel emta fuissent pagella, ne obulo quidem. Interim cum scribendo Medicaastro intentus fui, præter Apologeticum, nil me vidisse amplius, adhuc scribo, & denuo, si vis, solemniter testor ac protestor. Quid tum postea vero? An hoc tantum nefas est tua scripta vel legisse vel vidisse; vel aliqua Religio, neglexisse? Cogita Lector, quam sibi ambitiosulus ille domi suæ placeat, ob partam bonorum cum DEO famam ex divulgatione libellorum suorum. Certe vincendus est, aut expectandum, ut præ turgescentia fastus illia rumpantur, cum maximo rei literariæ damno. Quod tamen malum Di clementer averruncate à cervicibus Χημικοῦ Augusti. Quid enim, ut quoq; divertar ad illius calumnias, & convitia, quid unquam insolentius ab homine Studioso iactari fieri poterat, quam illos omnes hereseos esse damnatos, qui tenent Naturæ constantiam, roburq; priscum? Pape! Kirstenius Naturam sibi constare

stare

stare asserens hereticus est! jam deliramenta loquitur Augustus. Larva
 ipsum stimulant masculè. Sic ne mecum unà damnati sunt magni pariter
 Theologi ac Philosophi, qui tam suis, quam nostris adhuc temporibus hanc
 tuentur sententiam? O effrenam impudentiam! Quam si modestiam ali-
 quibus, qui illum intimius norunt, appellare lubebit, ne illi per quam natu-
 ransucos id facient. Porro quæ isthæc arrogantia est, quam sibi quasi qui-
 dam præcox & infrunitus Censor sumit in Galenicos circa Curationem Po-
 dagræ, Quartanæ, Hydropis, Morbi Gallici, & mali Hypochondriaci? Vix-
 dū admisus est ad Medicinæ limen homuncio, pullus inquam, adhuc Æscu-
 lapii, vix è scholæ testa caput exerens, & tamen nos docere medicinam vult
 rite exercendi? Hæc à viro annis gravi, & in arte Medica exercitato &
 consummato expectanda sunt, non ab adolescentiante ambitiosuli Chymi-
 celli ingenio. Verisimè hic in ipsum competit, quod apud Platonem Socrati
 respondit Phædro: Insanit homo, & ex libro alicunde doctus aut in
 Medicamenta collapsus, Medicum se factum esse putat, cum nihil
 in arte sciat. Sed nec id satis erat pro ludibrio. Jam quoq; relicta Medici-
 næ ad Mathesin Harpyæ instar transvolat, & adversus Hevelium pari sono-
 rridit, virum alias in Mathematicis disciplinis exercitissimum, quasi il-
 lius quoq; scripta quædam, dictaq; displiceant. O lepidulum caput, & deri-
 diculum! Quam ipsi omni jure potest occentari, quod olim in Dethar-
 dingium minus apposite contillabat:

Tecum habita, ac alios ne culpa, deme trabemq;

Ipse tibi, & fugies ἢν πολυπεραγμοσύνην.

Si quisquam calumniandi fuit autor; si ullus injuriarū sparsit semina, aut
 sordes unquã evomuit, Hauptmannus is est, in omnibus suis chartis & pa-
 gellis. Nullius, quod scio famã, cū suo Agricola intactam sinit, si non abblan-
 diuntur. Jam coram istis Rhadamantibus atq; Æacis in tribunali Chymiga-
 strico, ut abortivus Doctor, & fatuus compareo: Jam infra omnem condi-
 tionem eruditorū & Medicorū me detrudit alter Minos: Jam nescio quid
 præ cæteris, supra conditionem mortaliū & meam mihi arrogant: Jam de-
 nig, quod liberalissimum est, fulcrum me faciunt cause Dethardingianæ.
 Ad singula si aliàs respondendū sit, proluxo fortassis sermone opus esset; nūc
 paucis verbis, quicquid illi effutiunt, saltem redarguam. Primo quidem ne-
 go unquam ullius viri boni famam à me vel scripto vel dictis lacesitam,
 nisi prius fuerim provocatus. Doctorum numero jam pridem à tredecim
 annis adscriptus sum, fungorq; illa dignitate, vobis rabula, quidquid etiam
 impuden-

impudenti ore oggannatus, ad invidiã. Interim meo me pede metiri didici,
maxime alienus à vitio arrogantia & jaëtantia: Quod vel illi testari pos-
sunt, qui me norunt paullo intimius. Cum porro fulcrum esse me perhibent
& statuminatorem cause Deibardingianæ, non tantum falsum, sed etiam
mendacium dicitur. Et sane nescio, quid sibi de viro illo persuadeat Haupt-
mannus? An fungus ipsi videatur; aut merus Pharmacopola? Ostendit
hactenus, ostendit quid sua possit manu adversus illum Poliarchũ Chymicũ
Dresdensem: Et nisi destiterit, crede Lector, tam frictum caput ejus reddi-
turus est, quam frictũ est cicer. Neq; tu ex eorum numero illum esse puta qui
cum Augusto tam enormiter impingunt in Latinitatem; vel etiam qui me
egeat commendatione. Profecto sibi ismet sufficit, secum etiam habitat, sat
potens suo Marte dimicare adversus Chymicastro. Quod si tamen quicquã
uspiciam à me impetrasse dicendus sit, præter obsequiũ adscribendas & publi-
candas Animadversiones id non fuit amplius. Idq; etiam tanto potuit faci-
lius obtinere, quãto mihi proximior cura mea fama atq; existimationis est.
Quare Tu Lector judica, utrũ ego fulcrũ nunc ipsi fuerim, an ille mihi evul-
gandi quidpiã, tuũ inquam erit; Mibi enim nõ amplius vacat audire bala-
ironem. Sive autem cum Davide, sive cũ Goliatho, sive etiam cũ quovis alio
Salaputio se cõponat Augustulus, mea parum interest, neq; magnopere exti-
mesco verminantis lumbriculi sive minas, sive querelas. Talis quippe si sub-
ter pedes meos venisset, diu illum ita tritum dedissem, ut jam quasi ex offa
absorptus, iterũ per aliã viam secessisse videri possit. Davidis quidem Per-
sonam potest ostendere, arma an possit pari Spiritu roborata valde dubito?
Si tamen tanto cũ pruritu gaudet cũ Davide comparari, forte id in Haupt-
mannum quadrat optime, quod Heliab Davidi in castra adventanti dixit:
Unde tu venis? novimus superbiam & temeritatẽ tuam, malitiamq;
cordis tui. Equidem cũ Philistæo Chymistarum Agricola, qui ausus est ma-
ledicere & exprobrare agmini Dogmaticorũ, non detrectamus pugnã, mo-
dò ille non fucatis & infamibus armis in publicum progrediatur, uti quidẽ
nuperè fecit. Quod ipsum tamen si imposteriũ quoq; tentarit, & hanc porro
viam perrexerit, sciat nobis etiam unguis esse, quibus, si volet, mascule la-
cerabitur. Hauptmannum proinde, quicquid etiam sibi tribuat, quicquid
subinde tinniat, suo sensu abundare jubebimus, & quantũcunq; vibrantibus
atrocis lingua aculeis se viat, quantũcunq; babetur, nunquam extorquebit
à me responsum. Habeat sibi. Tu interim Lector vale, mihiq; quod rogo, fa-
vorem perge. Tantum erat, quod Te volebam. Perscriptum Sictini Pomerani,
morum 1650, die 12. Martii.

Primas

Rimas hasce pro Naturæ constan-
 tiâ lineas cum duco, opus forsitan esset, ut
 statim in frontispicio, causæ aliquam dictio-
 nem, tanquam everriculum calumniæ vitili-
 gatorum, susciperem, ne fortè cuiquam in
 crimen istas rapere allubescat; verum operâ hâc jam super-
 sedebo. Neq; enim ab ullo Aristarcho, in tam bonâ causâ,
 mihi metuendum esse puto, nisi forte stili simplicitate Ge-
 nius alicujus offendatur; Hic ipse tamen sciat, me adole-
 scentium studiorum viridem fructum expromere, dum &
 venia & spes est, & paratus favor & audire non dedecet, &
 si quid desit operi, supplet ætas, & si quæ sunt dicta juveni-
 liter, pro indole accipiuntur. A culpâ vero scripti amor
 & reverentia me sublevabit erga *Præceptorem*: Præceptores
 enim sunt qui, si quid in nobis est ingenii, omnem ejus fru-
 ctum propè jure suo (uti quidem pro se quisq; cum Cice-
 rone fateri necessum habet) repetere debent. Accedit,
 quod res, de quâ jam controvertere nobis intercedit, tanti
 non sit ut virum aliis & quidem gravioribus occupationi-
 bus nimis jam antè districtû interpellare vel possit vel de-
 beat: Nam ut ut litigium de re nihili non sit, tamen ve gran-
 dem ac singularem subtilitatem nō adeò desiderat, quippe
 cū ipsa natura pro se loqui quodammodo, nostramq; sen-
 tentiam suo adminiculare calculo videatur. Sed nolo ultra
 limites in ipso limine vagari, rem ergo ipsam proponam.
 Quoniam vero quæ in rebus ipsis non sunt confundenda,
 etiam verbis recte debent distingvi & explicatè tradi, ante
 omnia Thema, de quo controvertitur, legitimè constitue-
 mus, mox genuinam sententiam firmis rationibus fulturi,
 annexâ deniq; argumentorum contradicentium resoluti-
 one. Ea q; omnia breviter. Faxit DEUS unâ feliciter!

THESIUM
pro
NATURÆ CONSTANTIA.

I.

Solent alias in quæstionibus methodi recitari non tantum pugnantia ac contraria, verum etiam similia & cognata; idq; vel ideò, ut eo majori diligentia non saltē manifestò opposita à thesi rejiciantur, sed & ea, quæ speciem quandam rei præ se ferunt, accuratius amoveantur: Quemadmodum enim (*dicente Juvenale Sat. 14.*) sæpè vitium fallit

Specie virtutis & umbra.

Sic (*attestante Chemnitio L. de Vir. Hum.*) omnia quæ rei sunt affinia, quadam similitudinis specie facilius incautis imponunt, à quibus tamen ea, quæ plane contraria sunt, non magno negotio animadverti possunt.

2. Quocirca & nos operæ pretium videmur facturi, si paucis de thesi nostrâ præfando, tam è diametro pugnantia, quam specie quadam convenientia declinemus ac separemus.

3. Quando itaq; Naturam nominamus, illam pro totius mundi compage, sive pro ipso mundo, (*qui ceu eum definit Sennertus in Instit. Phys. p. m. 1626. nihil aliud est, quam series corporum naturalium, quæ à DEO est, & per DEUM conservatur. Vel secundum Philosophum l. 2. de Mundo: Ordinata compages, cælo, terra, ad eòq; cæteris rebus, quæ in his continentur, coagmentata*) accipimus. Et alias quidem sine additamento dici solet universitas: Revera enim omnium rerum creatarum quasi est collectio & comprehensio, in qua particularia, summa εὐταξία καὶ Φιλία inter se unita, continentur. Tametsi ergò quædam mundi partes videantur decrescere, non tamen ad universalem mundi ruinam quicquam

pro-

probandam faciunt: Si quæ incommoda hic loci cernuntur, ea alibi natura, duplicatis commodis compensat, ut ita à particulari ad universale concludere non liceat.

4. Hanc igitur quando deficere negamus, idem quod alias Philosophi, volumus: *Natura motu proprio non ruit in deterius, nec senescit, nec ad interitum vergit. Sperling. in Institut. Phys. p. m. 1330. Natura appetit sui conservationem Scalig. Exerc. II. Leges nature ratae sunt & firma, minimeq; permutabiles Papar. l. 2. c. 20. p. 58. Mundus ratione sui perpetuò non labitur in deterius Jons. in libro de Nature Constant. primùm Anglicè conscripto ab Haucckvillo, Anglo. Quin nec ratione Elementorum nec Mixtorum ibidem per totum. Et quod sat tritum ac vulgatum: Natura non deficit in necessariis &c.*

5. Ex quibus manifestum fit, aliud nobis esse defectum, aliud impedimentum Naturæ. Quando itaq; eam perpetuò non labi in deterius, nec deficere asserimus, non ob id tamen negamus, cursum ejus inhiberi non posse; Largimur hoc cuivis ultrò, modo vicissim nobis detur, non posse eundem suspendi nisi à superiore h. e. DEO benedicto in Secula.

6. Quamobrem majoris evidentiae causa distingvemus inter naturam operantem absq; ullis remoris, & inter eandem compedibus quasi vincitam ac restrictam. Illo modo eam nec laborare nec deficere, sed potius ex operationibus perfectionem sibi acquirere ulterius cum Scaligero pronunciamus. *Tendit enim in finem suum, Finis autem perficit Exerc. II. sect. 1. p. 60.* Hoc verò modo si voculam deficere retinemus, nimis libere loquimur; Neq; enim quamvis retardationem sive impedimentum, defectum ausim nominare.

7. Affine huic est & illud, quod à nobis id præprimis intendatur, quod Naturæ quæ tali competit, neq; enim

omne, quod fit in Natura, statim à Natura fieri censendum; Sed quemadmodum leges Naturæ non judicant supra Naturam: Ita quæ supra Naturæ leges sunt, ex Naturæ legibus judicari non debent. *Scal. Exerc. 77. f. 2. p. 288.*

8. Cardo itaq; rei, quæ controvertitur, hic est: *Utrum Natura ex se, seu quod idem est, inclinatione quadam spontanea ita ex defectu virium in interitum ruat, ut senio jam effracta, munia sua ita alacriter hodiernum ac olim obire nequeat?* Hic Negativa nostra est, cujus veritatem probare nobis incumbit.

9. Ac initio quidem compertissimum nobis est, Articulum de mundi consummatione pariter ac de creatione esse fidei, & quemadmodum non aliunde nobis constat de creatione mundi, quam ex sacro codice, ita omnia, quæ intellectus noster de mundi interitu tenet, hausta ex iisdem arbitramur fontibus, ut hoc non dicat Natura, sed unice monstret Scriptura.

10. Quo concessio, non video, qua fronte quis Naturam sua sponte ad ruinam inclinare sive senescere, serio affirmaret. Eo enim stante, sequeretur, destructionem mundi non tantum ex S. literis innotescere, sed potius ipsam Naturam eandem quasi digitis monstrare. Imò prædicandum tandem posset (*inquit Sperlingius loco jam allegato*) ex præteritorum & præsentium temporum collatione interitus, tempus & annus, quo quid dici potest distortius?

11. destructio siquidem illa erit plane singularis, extraordinaria & supernaturalis DEI actio. Cum eo enim, quem nunc habet in communi & ordinario DEI concursu, sibi ipsi relictus mundus perpetuo durare posset, *inquit Senn. in Phys. p. 137.* Id etiam fatente D. Gerardo de Consumm. seculi p. 359. Si generalem causæ primæ concursum in mundi sustentatione ac gubernatione respicere velimus, juxta cum
perpe-

perpetuo durare posset mundus. Generalis verò ille con-
cursus DEI nunquam cessat, si cessaret, non certe Natura
viribus tantum deficeret, sed funditus potius everteretur,
ac in nihilum, unde creata, redigeretur.

12. Ut ne nunc dicam ipsam Naturæ perfectionem huic
maleficio (liceat nobis in materiâ simili *cum Scaligero loquere*
ex Exerc. 61. s. 1. p. 219.) repugnare. Quin enim gloriosus
DEUS omnia, quæ creavit in suo genere perfecta condide-
rit, (Nam ut serres habet in Bonitate, ita etiam in perfectio-
ne, & ut omnia bona valde, sic etiam perfecta valde) quæ
locum habere poterit perpetuus ille lapsus in deterius,
præsertim si ex Natura causaretur. (De hoc enim jam lo-
quimur.) Num & hanc declinationem perfectam appel-
labimus? αὐτεβέσ. Perfectum non est, quod perfectionem
sibi debitam retinere nequit.

13. Sed transeant hæc, sunt enim manifestiora, quam
ut ea neget impudentissimus. Proinde ulterius progre-
dimur, & quia defectus ille naturæ videtur vetustate fulci-
ri, videbimus utrum constantiæ, quam nos asserimus Na-
turæ ætas ejus officiat? Quod dum quærimus, non patie-
mur nos à querelis, quæ etiam in vulgus notissimæ sunt,
moveri; Nihil nunc æquari posse priscis; Terræ eandem
haud esse fertilitatem; Non easdem plantis vires; minora
in homine omnia, staturam, ætatem, robur, ingenium;
Hæ ipsæ enim ex rerum præsentium tædio, aut certe ex
quadam animi ægitudine & diffidentia potius ita dicun-
tur, quam quod in rei veritate se ita habeant. Neq; Stoi-
corum figmenta placent, qui Naturam viro assimilarunt,
atq; ut hic variis debilitatur curis, multis defatigatur la-
boribus, ita & Naturam, ex nimis diuturno virium usu, e-
medullam, vigorem ipsius pristinum marcescere, atq; non
aliter, ut vir, multis annis oblitus, demum decrescere ar-
bitrati sunt. Omnia falsissime! 14. Na-

14. Natura dum operatur, non laborat, sed vires recipit, inquit *Piccolom. Grad. 10. cap. 29.* Neq; similis est artificio, qui operans laborat, sed dum operatur Natura, mirum in modum reficitur & crescit. Fallunt igitur Stoici, dum Naturæ vires asserunt attritas, cum *Natura suum Opus non sit operosum* dicente hoc *Scaligero.*

15. Loquimur autem hic de Natura spectata secundum esse specificum, non secundum esse individuificum, h. e. non descendimus jam ad individua, sed quærimus de Natura universa, deq; sub ea contentis speciebus; utq; individua variis obnoxia mutationibus, defatigationibus & corruptionibus libenter concedimus, (quis enim hoc negaret?) Ita species econtra laborare, defatigari, diminui, aut immutari ἀποτομῶς negamus.

16. Patet id ex continuata rerum caducarum sese excipientium serie, quibus solers, providaq; Natura vitæ Seminarium in se vitæ nunquam intereundum: Moriatur hic homo, moriatur & ille, nihilominus Homo Physicis est immortalis. Sic defatigetur Canis currendo, Taurus arando, Equus currum trahendo, tamen manet: Natura non defatigatur. Multa individuis accidunt ratione ὑπερξίτη, quæ ipsis per σοίαν haud competere. Et hoc sensu valet illud: Scientia est rerum æternarum, non caducarum.

17. Imò, si omnino deventum fuerit ad individua, nos tamen non omnia, quæ iis accidunt, Naturæ adscribimus. Sed potius cum *B. Meisnero* distingvimus inter *attributum ἰδίον* & *κοινὸν* *Proprium* & *commune*: Nam individua & existunt & sunt (verba sunt *Meisn. p. 2. Phil. S. p. 475.*) essentiam habent & subsistentiam; illâ conveniunt, hâc differunt. Quodcunq; ergo de individuis ratione σοίας asseritur id omne ad Naturam speciei referimus, secus quod per ὑπερξίτη de iis enunciatur.

18. Et

18. Et hinc sua sponte ruit illud vulgo jactatum; vitam nostram non æquare Patriarcharum annis: Illi enim, qui de hoc queruntur, quid dicant, nesciunt. Nam sit ita: Non obtingat nobis ætas Abrahami, cæterorumq; Primæ millenarii credentium. Quid tum postea verò? Num ideo Natura accusanda? Minime: Neq; enim ipsa in causa est, cū Brevitas ista vitæ nobis non contingat per ῥοίαν, sed potius per ὑπερξίω; Nec quia Homines sumus, sed quia tales homines, hoc est, quia vitiis nos nimium, vitæq; inordinatæ dedimus; sed de hâc re dicemus postea.

19. Proinde, quemadmodum ἡ δει τὴν τῶν ἀνθρώπων πονηρίαν ἐπὶ τὰ πρᾶγματα μεταφέρειν: Ita non statim propter imbecillitatem hujus vel illius individui ipsa Natura culpanda, multa fiunt præter, imò multa contra Naturæ intentionem. Et recte hoc Pezel: habet de Provid. p. m. 148. *Etsi erratum aliquando conspicitur in individuis aut singularibus, tamen manet ordo & distinctio specierum. Quælibet enim species retinet suas formas, magnitudinem, periodos, durationes, vires, actiones, quales illis sunt inditæ; neq; error individui tollit totam speciem.*

20. Ex quibus ita præmissis, conclusio infertur evidentissima: Naturam neq; ex se seu motu proprio, neq; nimia vetustate attritam deficere, quippe cum nulla causa defectus illius in ea consistere queat. Quod quamvis pro thesi nostra sufficere possit, tamen adhuc videbimus, annon ex aliis causis defectus ille (si ita liberaliter τὸ ὅτι concederetur) causari posset? Dno. Hauptmanno verissima causa atq; ratio est Peccatum, deinde & maledictio lapsus Adæ subsecuta, uti hoc ipsum innuitur p. 92. *Ser. Ser.* Verum enim vero parum ad rem! Nondum ex hoc Naturæ Defectus probatur. Verum est, & extra controversiam, Naturam Divinæ maledictionis efficaciam, proh! sa-

C

cis su-

tis superq; sensisse: Quod enim ante lapsum terra nulla proficisfa vomere, nullis fossa ligonibus sponte sua proferebat, id post lapsum sudore ac labore, & ut ita dicam, vi quasi extorquendum erat. Sanè, nisi Adam peccasset, tot calamitates & ærumnæ haut fuissent subsecutæ, nec quenquam suis comitata ingratiſſimis satellitibus fenectus occupasset. Verbo: Talis mutatio naturam incorruptam non excepisset. Omnia planissima, verissima. Quapropter si de hâc mutatione scripserit, quæcunq; scripsit Autor, nos non habet contradicentes.

21. Si quis autem maledictionem illam his demum potestremis temporibus vires suas exercuisse affirmaret, næ, ille grandem erraret errorem. Paradiso enim expulsus homo in miseriâ & luctu vixit, non minus quam hujus seculi homines, *nec ulla re consolari potuit, nisi promissione venturi Messia*, inquit *Dresserus in 1. Millenar. pag. 16.* Agros colere ipsis incumbibat æque ac nostris colonis: Non minus Mater in dolore peperit, quam Filia; Homicidia, Bella, Infidæ, Hæreses, Rapinæ non defuere, quâ de re lubet apponere, quæ *Dresserus* habet loco jam alleg. p. 31. Deniq; inquit, *cum juxta Ecclesiasten nihil novi sub sole geratur, sed eadem semper in mundo agantur, & fiant, non dubium est, studia & actiones hominum in primo Millenario nihil, aut parum à sequentium ætatum & temporum moribus, institutis & actionibus discrepasse. Est enim Natura sui semper similis, & ad eadem inclinata ruit, nec aureum seculum ullum in mundo fingendum est, cum nulla ætas non sua habuerit incommoda, calamitates & vitia, eaq; non exigua, sed ingentia & deterrima, ut si optio daretur, haud scias, hocne seculo vivere, an Patrum tempore ante diluvium vixisse malis.* Hactenus *Dresserus.*

22. Nos ergo dicimus, maledictionis istius effectum statim post lapsum esse subsecutum, cum ipse Deus Proto-
plastos

plastos verbis allocutus est admodum duris, quæ ipsos maximè parentes, consequenter etiam, & per derivationem culpæ, totum genus humanum concernebant: *Maledicta, inquit, sit terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi, in laboribus comedes ex eâ cunctis diebus vite tue &c.* Et ad mulierem: *Voluntas tua viri subjecta erit, dolore liberos tibi paries &c.* quis vero hinc non videt, Adamum & Evam quoq; vim maledicti expertos fuisse?

23. Et sane, si terra ab initio mundi usq; ad hæc nostra tempora à pristinis illis qualitatibus, sibiq; adhuc relictis foecunditatibus (licet sensim sensim) degenerasset, quæ tandem regio, aut quæ arva colono jam parerent? Si Adami diebus jam agri tribulos germinarunt, quid nunc sibi agricolæ promittere possent stante perpetua inclinatione in deterius? Certe hac ratione non spinas, non vepres, aut aliquid ejusmodi produceret terra, sed æneum plane ac ferreum haberemus solum.

24. Idem argumentum etiam pro coeli, corporumq; coelestium militat constantia, quæ sibi primitus inditam legem non ita accurate servarent, ut adhuc id fieri videremus, si tempus illa senescere faceret. Fingat sibi quispiam Solem à pristinis viribus luce & calore perpetuo degenerasse, quæ virtus, aut quænam lux & qui calor adhuc relinqueretur in sole, cum ista declinatio per quinque mille & sexcentos annos, præter id, quod excurrit, fuisset continuata? Et tamen constat nostros annorum dies parum aut nihil plane discrepare à superiorum tempestatibus. Et licet interdum æstivo tempore calor deprehendatur debilior, nihil tamen illud ad ruinam universalem naturæ facit; Nam ut supra diximus, natura, quod hic vel illic loci videtur negligere, alibi restaurare solet. Neq; perpetuum est, omnes indifferenter annos elapsis esse frigidiores

C 2

(quod

(quod tamen fieri debebat, si ex hoc adversaria pars concludere velit;) sed sæpe fit. ut intemperatum temperatissimus excipiat annus. Et omnia argumenta ex hoc principio nexa, nihil probant, nisi varias annorum temporūq; vicissitudines, quæ sane alicujus defectus naturam haud arguunt.

25. Plura hac vice non addam, ne, ut *ille apud Fernel. de obditiis rerum caus. p. 41.* ait, supervacanea probandi diligentia ipse mihi diffidere videar, & claris ac conspicuis per se rebus, argumentorum fumos prætere; ipsa pro se veritas fortius cōstantiusq; certabit, nobisq; tacentibus se defendet. Quod si tamē quispiā plura velit, legere is potest *Jonston. de Constantia Natura*, qui totus in eo est, ut demonstrat Naturam perpetuò non labi in pejus, nec deteriora esse nostra tempora superioribus seculis: Id quod deducit per experientiam, exempla & comparisonem modernorum populorum cum antiquis. Nobis hæc prothesi sufficient; Restat ut subjungamus antithesin, & quid solidi in objectis argumentis insit, expendamus.

26. Cum verò error sit (*dicente Chrysoft. Homil. de prof. Evangel.*) quicquid contra S. Scripturam decernitur, & vero erroris nos hujus arguat Dn. Hauptmannus in *scripto suo serio pag. 89.* denn/ inquit, ob das nicht pro errore etiam in theologicis passieren kan zē. Das die auff die neige gekommene / sich abgemattete / abgeängstigte / und auff die aufflösung sich höchlich sehnende Natur in ihren creaturis, wie sie durch den H. Geist Rom. 8. beschrieben wird / noch so stark &c. wehre / als sie von anfang gewesen &c. das werde ich gewiß / weder einziger rechtgläubiger Christ darauff glauben) videndum nobis erit, utrum tandem ita scripturam habeamus contradicentem, ut nullo plane modo cum illa convenire nobis possit; Verum valde metuo, ut crimen plane ullum sit, cujus ex sacris nos argvat Hauptmannus, cum
non

non modo eas ipsas non contrariari, sed amice potius nobiscum conspirare res ipsa quæquam docere possit.

27. VOX DEI est, quæ legitur *Gen. 8. v. 22. Cunctis diebus terræ sementis & messis; Æstas & hyems; Frigus & æstus; Nox & dies non requiescent.* Ibi Lutherus in *Commentar.* Stantibus diebus terræ, terra stabit & manebunt vices temporum, sed cessantibus diebus terræ, cessabunt ista omnia, & sequentur dies celi i. e. dies æterni. Sed quomodo Divino huic effato conformis est thesis Hauptmanniana, quâ scribit: Wenn ein Auge verblenden wil/ so gibt es erst nebulas, phlyctenas, was geben uns diese maculæ (intellige in Sole) fast anders zuverstehen? Hæc inquam, an consentiant, judicent alii. Scriptura dicit, Frigus & æstum non cessatura: Hauptmannus contra lucidissimum Solem tandem excoecatam iri non omninò pro absurdo habet (ita scilicet cœcutimus ad lucem.) Sed numne æstus absq; Sole? Quis credat? Nec puto concedet Dn. Hauptmannus, qui aliunde nobis defectum caloris æstivi persuadere non posset, nisi ex defectu causæ ejus efficientis, quam obfuscata nunc aliquatenus, pedetentim verò ac magis magisq; ob multas, quas contraxit, & adhuc contrahit maculas, defecturam in thesibus suis asserit. Aut si hæc non voluit Autor loco dicto, quid opus erat simili, quod ab oculo jam excæcando petitum nobis objicit, ex quo manifestò colligitur, quod jam diximus.

28. Nemo verò nos tam absurdos hic existimet, ac si Solem reliquasq; stellas planè asseramus immutabiles, aut ab omni corruptione immunes, longissimè hoc à nobis abest, quippe qui modo id obtinere contendimus, non eas deficere, quoad salvus totus hic stabit orbis, & quidem vitio quodam Naturæ, sic enim cum Scriptura loquimur, quæ negat cessaturas vicissitudines temporum,

adeoq; frigus & æstus *cunctis diebus terra*, hoc est, quoad ipsa terra stabit. Stante ergo illa nullum coecum Solem neq; ex S. literis, neq; ex sana ratione imaginari nobis licet nec libet.

29. Dicti Apostolici (*Rom. 8. v. 20. 21. 22. quo loco vanitati subjectam esse creaturam, atq; ob id eandem congeniscere & parturire usq; adhuc Paulus commemorat*) facilis est conciliatio, si mens & scopus S. Pauli attendatur. Docet scilicet Apostolus: quod omnis creatura, intellige irrationalem, subjecta sit vanitati *invita*. Ex quo statim apparet, subjectionem illam atq; passionem indoli primigeniæ ac scopo creaturæ adversam esse, uti & hoc dicit *Dannenbauer. in Hodosoph. m. p. 962.* cum illa ipsa creatura nefando hominum abusui præter suam naturam subfervire cogatur,

30. Ægidius Hunnius *L. de Providentia* rem exemplo illustrat: *Vinum, inquit, est nobilis Dei creatura, etiam in Sacris Literis decantata, Vino porro detestandum in modum abutuntur ebriosi, adeo ut in vino αὐωτία esse Paulus commemoret, quæ extrema est vanitas, servitus atq; corruptio, cui hæc creatura subjacet non volens; ab hac servitute corruptionis liberabitur vinum in die revelanda libertatis Filiorum Dei.*

31. Causa ergo, quare creatura vanitati subjaceat, & quam ob rem parturiat est abusus hominum, ex quo fit, ut contra creatorem suum militare videatur, & hinc per quandam *πεσοπιωποίησις*, summo desiderio liberationem expectet. Quod si exinde Natura vitii seu defectus argui meretur, cur non ante multa secula ejusdem criminis fuit accusata? Hæc ratio certe non nostris demum diebus sed & sub Noachi, quin ipsius quoq; Adami ævo defecisse Naturam rectius quis fortean censeret, id quod facile

facile (si modo quid solidi ex dato argumento inferri posset) evinceret, hâc viâ:

Ubi abusus est creatura, ibi ea ingemiscit & parturit

Atqui nullo non tempore iste abusus fuit

E. nullo non tempore ea ingemuit, & parturivit

& quod Apostolus addit, liberationem expectavit.

Major est inconfesso per auctoritatem Apostoli, fundataq; in Logicorum canone pervulgari: Positâ in actu causa &c. Minor vix opus est ut demonstretur, omni enim tempore Diaboli extitisse mancipia, impiosq; divinorum operum osores, abutentes Bonitate DEI ad suam nequitiam impietatemq; nefandam, manifestius est, quam ut negari possit, id ipsum enim præter DEI verbum, historiarum etiam evincunt monumenta.

32. Imo, cum lux sincerioris religionis clarius nobis per DEI gratiam affulserit, non dubitamus grandiores abusus, quantum quidem ad abusum religionis attinet, antiquis frequentatos fuisse seculis, quam vel nostris. Novimus enim, quod Ethnici, qui statim post lapsum tanquam zizania semini purioris Ecclesiae intermixti mirum in modum excreverunt, quoniam rationi consentaneum non videbatur, tam varias res in Natura subsistere posse, nisi cuiq; suum numen assignaretur, plures res creatas pro Diis venerati sint, quam quot annus dies numerat, hinc post aliquot tempora in certas turmas distribui ceperunt, & quidem reperies quosdam ex Romanis, qui 50000. commenti sint. Bone Deus! Si istis vanis ac vesanis temporibus Natura vanitati non fuerit subiecta, & consequenter parturiverit, quid nobis his seculis metuumendum erit, ubi intra gremium Ecclesiae tantos ac tam horribiles creaturarum abusus non sanè reperies.

33. Sed

33. Sed quicquid sit, seculum nostrum aureum non
ingimus, id saltem volumus, quod & vetustissimis tempo-
ribus, jam inde usq; à primâ hominum origine, aut si
mavis lapsu, impietates fuerint frequentes, & ob id Na-
turam vanitati ex iisdem causis fuisse subiectam, legi hic
poterit, quem diximus, *Jonston. Posit. 5. art. 3. Membr. 7. p.*
108. Tanta olim fuerint vitia quanta nunc sunt.

34. Ex his jam quivis videt, quod argumentum contra
nos non concludat, qui id modo evincere conamur, his
postremis adeoq; nostris temporibus Naturam non in pe-
jus ruere. Ubi tamen non negamus, posse fieri, ut
DEUS propter enormia hominum peccata, naturæ vires,
influxuntq; suspendat. Nam omnino vera sunt, quæ
Gesnerus habet in Comm. in Psalm 90. m. p. 624. Atq;
hic quidem inquit, docemur causas morborum, mortis,
& omnium deniq; calamitatum, tam publicarum, quam
privatarum, non in stellarum positu, non in materiæ
contemperatione, non etiam in cæco fortunæ & casus
impetu cum Epicuræis & Philosophis esse quærendas,
sed in nobis ipsis, inque naturæ nostræ depravatione &
omnis generis peccatis animadvertendas &c. quod si er-
go quandoq; jam negat terra sementem, si eluvionibus
& aliis cladibus ab irato DEO decretis vastatur, si nimis
caloribus aduritur, fata hæc nobis cum prisceis sunt com-
munia, si communia scelera; naturam autem deficere
exinde probari posse in totum imus inficias; Nam & su-
pra distinximus inter Naturam sine ullis interjectis im-
pedimentis operantem, & inter eam restrictam & quasi
vinctam thes. 6.

35. Alterum, quod nobis obvertitur dubium, petatum
est ab inundatione communi sive ipso diluvio, quod ta-
men aut plane non, aut certe admodum langvide ferit
nostram

nostram thesin, siquidem non hanc; *Natura non defecit*; Sed istam: *Natura impediri nequit, nec cursus ejus suspendi potest*, infringit telum propositionem: Illam defendimus, hanc verò in patrocinium non recipimus. Præterea nobis ipsis parum videtur probabile, velle negare, naturam nullam exinde contraxisse labem. Patet hoc; at dubitatur de τὸ διότι, quod nobis profecto non Natura est, Sed aliquid supra Naturam: Cave ergo Naturæ defectum, hanc immixtam labem dixeris; Aliud est fieri in Naturâ; Aliud à Naturâ; Illud saltem nobis objicitur, quòd tamen nihil minus, quàm defectum Naturæ probat.

36. Cæterum, Naturam excusso jugo vinculisq; solutam ad pristinum vigorem & vires hæctenus quasi victas anhelasse, masculæq; assurrexisse quis inficiaretur? Cum ipse Deus Benedictione admodum salutiferâ eam collapsam invitè erexerit, & quasi semianimem refecerit, ut mirum jam non sit, eam ita esse recreatam & viribus suis restitutam, ut vel in æternum absq; ullâ senii labe, sustentante DEO, vigere, operationibusq; suis perfungi posset.

37. Pergit Autor, fragilemq; vitæ humanæ brevitatem Naturæ opponit constantiæ. Iniquissimè! ut supra ostensum *thes. 18.* Quin & frustra! Etenim intra ter mille annos ætatem hominis non defecisse, certo novimus, & ipse Moses *Pf. 90.* vitæ nostræ terminum constituit octogesimum annum, quem tamen & nostri ævi attingere non paucos, imò & supergredi non rarò, tam planum est, quàm quod planissimum. Hiob jam tum vitam comparabat *folio ventis raptò, stipulis siccis, vestimentis à vinea comestis, tela à texto succisa.* Davidis quærelæ sunt: *Palmæ posuisti dies meos: Tempus meum tanquam nihilum coram te: In imagine vel umbra transit*
D homo,

homo, sicut fœnum dies ejus; Tanquam flos agrî sic jam effloret; jam ad venti impetum cadit. Samuel juxta conjecturas Chronologorum non excefferat sexagesimum annum, & tamen senex obiisse dicitur. David satur dierum vocitatur, & tamen septuagenarius animam traditur exspirasse.

38. Excipiendi hic sunt cum Patriarchis cæteri in primo millenario pii, quibus tum ob simplicitatem vitæ, tum & vel maximè ob singularem providentiæ divinæ dispositionem, ut scilicet genuinam de Deo ac divinis doctrinam traducant, posteros de voluntate Dei erudiant, contra varios Satanæ insultus ac dolos pugnent, vitæ usura obtigit diuturnior. Hinc reperies, qui longævitatem hanc credentium, potius opus providentiæ, quàm Naturæ censent. Neque enim de impiis reperitur in sacris, quod tam diu vixerint, inquit *Dreserus Millen. 1.* Sed si quis providentiæ Diætam adjungat; tutò id ipsum fieri poterit, quàm multum enim illa possit in conservanda, si observata; quam multum etiam in destruenda; si neglecta fuerit, valetudine, res ipsa loquitur, imprimis, si unâ cum cibo & potu cæterarum Rerum non-naturalium quoq; habetur ratio, quas tamen Medici uno Diætæ nomine communiter solent indigitare.

39. Et hinc *Conringius in Dissertat. de German. Corpor. Hab. antiqui & novi causis* omnem mutationis causam corporum Germanicorum partim in parentibus, partim in educatione, non vero in occultâ quâdâ Naturæ inclinatione quærit; Quæ si locum haberet, jamdudum ipsam corporum procreationem defecisse oportuit, non statueram inquit, loco dicto? Pari modo de ætate hominum judicandum, quæ si ex Naturæ malitiâ deficeret, certè homines, qui hoc nostro seculo ævum tolerant, non deberent

rent

rent annos cum majoribus explere numero eosdem, cum ex Adversariorum hypothese Natura indies decrescat, unde ergo ista, quam experientia monstrat, constantia?

40. Si tamen disparitatis Patriarcharum & nostrorum dierum ulla in natura concedenda sit causa, deferimus eam vitæ rationi, quæ ut Majoribus eadem, ita posteris maximè varia: Et in hoc facimus cum Hermano Conringio, qui loco jam allegato scribit: *Corporis omnium Naturam indolemque formari quasi à victu ceteraque vivendi ratione, tanquam certum & exploratum habeo, quod ulterius ibi deductum poterit videri.*

41. Licet vero non desint, qui omne id, quod ratione vitæ, virium ac proceritatis staturæ humanæ accidit, cœlo esse imputandum censeant, ex cuius declinatione multum decedat sublunaribus, hi ipsi tamen graviter in hoc errant; Ut ut enim cœlum seu stellas influxum quendam ad sublunaria habere tolerari in tantum possit, in quantum influxus ille maneat indirectus; Interim tamen quoniam ipsum cœlum remota saltem ac universalis causa est, (quod dogma gregatim omnes Physici sequuntur,) ad ipsum particulares effectus restringere non licet. Etenim influxus cœlestes non permutant rerum sublunarium essentias, & virtutes essentielles, sed eas conservant: Et qualescunq; aspectus siderum sint, qualesque influxus; semper omnia agunt pro Natura sua, quod quidem Fieni effatum est *de viribus Imagin. p. m. 163.* Neq; nos unicum robur aut constantiam sublunarium rerum, quod falso nobis affingit Hauptmannus, præcipue in influentiis siderum posuimus vel quæsimus unquam, vide, si lubet, *Animadvers. D. Doct. Kirstenii Præceptoris nostri multum venerandi in Chirurgiam parvam cap. 17.*

42. Et in specie, quod proceritatem humanæ staturæ

eturæ concernit, illam non dependere à cœlestibus corporibus, vel hoc nobis potest argumento esse, quod in iis regionibus, in quibus olim parvi & exiles traduntur fuisse, jam staturâ insigniores deprehendantur. Africum cœlum hodie amplos generat, quod tamen olim exiles dedisse testatur Siliî Italici sententia, quam habet Conringius:

*Princeps signa tulit Tyria Chartagine pubes,
Membra levis, celsiq; decus fraudata superbum
Corporis*

Item, majores in Asia hodie reperiri ac quondam, apud eundem leges. Quodsi ergo in iis locis postremorum seculorum incolæ priores proceritudine superant, & verò exsententia eorum, qui illam à cœlo derivant, ipsa quoq; cœlestia virtute deficiunt, manifestò colligitur, non posse vel brevitatem vel proceritudinem ab istis induci aut causari.

43. Quæ cum ita sint, & Naturam ob breviorē, quæ nobis obtingit usuram vitæ, comparatione factâ cum Patriarcharum longævitate, jure accusari non posse, & cœlum ad mutationem istam introducendam non valere (quemadmodū modo demonstravimus) constet, relinquatur diversitatis rationem esse in diætâ quæredam, sive ipsa ratione vivendi diversâ, nisi fortean omne id divinæ providentiæ acceptum feramus, quæ duo tamen rectissimè conjunguntur. Ubi *ὡς ἐν πηγῶν* notetur, nobis illam diætam (specialiter accepto vocabulo, quum alias cæteræ res non naturales illo nomine simul veniant,) quâ omnis generis tortæ, panes ex saccharo, Cupediæ, aliaq; id genus palati scitamenta genio indulgentur, non satis probari. Certè ejusmodi deliciæ nec firmum alimentum, nec laudabilem progignunt succum, hinc potius

tius ab optimâ vivendi ratione exulant: Quanto quippe simplicior, nostræq; naturæ similior victus est, tanto melior, & ad conservationem aut restaurationem virium & roboris convenientior, quod vel in antiquis Germanis olim, & hodiernum in aliquibus Belgii locis, observare licet, ubi lac & caseus præ cæteris obtinent primatum inter esculenta & potulenta.

44. Sed confirmat Autor thesin suam porrò, sequentibus verbis: Denn ob ihr gleich die Influenz des Himmels/der Sternen und ihres lauffes gewisse seid/ und daß sie noch nicht darinnen gar veraltert wehrn/ in etwas vor euch habt/ so könnet ihr uns doch wegen ihrer unverrückter Wirkung gar wenig vergewissern/ wir empfinden Jährlich ihre grosse mutationes mehr als zuviel/ in effectu & defectu, das ein Jahr nicht Bittert wie das andere/ in einen Jahre eines nicht also gereth/ oder so kräftig wird wie das andere/ oder wol gar verdirbet.

45. *Resp.* Probat Autor plusculas mutationes ac variationes in rerum hac vicissitudine contingere, quod nec nobis rejiculum, nec Naturæ arguit defectum. Varietates rerum, quas mundus habet, à prima sui origine statim exstitisse, quis neget? Nec tamen defecisse dixeris Naturam, cum ita lege Naturæ sancitum sit. Ita scilicet est, ut Boethius habet:

*Repetunt proprios cuncta recursus
Redituq; suo singula gaudent,
Nec manet illis traditus ordo,
Nisi quod fini junxerit ortum,
Stabilemque sui fecerit orbem.*

Et si argumentatio hæc præcederet, sequens annus præterito semper foret infœcundior, (ex adversa enim sen-

rentia non ascendit, sed perpetuo gradu descendit
Natura,) quod tamen, quia redarguit experientia, simul
ipsum argumentum labefactatur, & ejus consequentia
perit. Non itaq; has varietates ex defectu coelestium,
sed potius ex earum vicissitudine, in qua tamen nulla aber-
ratio aut imbecillitas accidere potest, rectius arbitramur:
Ubi tamen imperite prorsus excluderes diversum soli
habitum seu qualitatem terræ, quippe multum refert
scire, quid nobis illa neget, quid promittat. Hic fru-
ctuosè vineta instituas, illic frumenti utilior satio: Alia
terra soluta est, alia spissa; Alia humida, alia sicca; Alia
pingvis, alia non item; quæ qualitates permixtæ & alte-
ratæ mirabilem agrorum varietatem creant.

46. Perspexit id jam suo tempore Poeta cothurna-
tus, unde & sequentes nati ipsi versiculi. i Georg.

*Cura sit ac patrios cultusq; habitusq; locorum,
Et quid quæq; ferat regio, & quid quæq; recuset,
Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ. &c.*

& rursus:

*Nec verò terræ ferre omnes omnia possunt
Fluminibus salices, crassisq; paludibus alni
Nascuntur: Steriles saxosis montibus orni
Littora myrtetis latissima: deniq; apertos
Bacchus amat colles, Aquilonem & frigora taxi.*

Horum causam reddit & ipse:

Quippe solo Natura subest.

47. Præter hanc bonitatem soli, ut quamvis pareant
avidæ arva colono, ex parte agrorum insuper requi-
ritur cultura agrorum nunquam negligenda. Non igitur,
quæ verba sunt *Jun. Columelle cap. i. l. ii. fatigatione, quem-*
admo-

admodum plurimil crediderunt, nec senio, sed nostra scilicet in-
ertia minus benigne nobis arva respondent: licet enim mayo-
rem fructum percipere, si frequenti & tempestiva & modica
stercoratione terra foveatur. Quapropter immerito pror-
sus Naturæ adscribitur, quod nostra culpa negligitur.
Nec aliter se res habet in plantis ac herbis, quæ ipsæ ad
sui incrementum loci simul habilitatē admodum deside-
rant. Quod si vero ex insita quadā inclinatione degenera-
rent; jam plantæ non essent amplius: quantulum enim
inest humoris, ut tot seculorum occulta tabe non sit
penitus absumptum?

48. Ut ergo ad Argumentum redeamus, laborare id
dicimus fallacia consequentis. Non enim sequitur; Es
Wittert nicht ein Jahr/ wie das andere/ (quæ verba sunt
Auctoris) In einem Jahre gereth eines nicht so wol als das
andere/ oder es verdirbt wol gar; Ergo so sind die Wirkun-
gen des Himmels und der Sternen verrucket. Non hoc in-
quam, sed illud infertur ex præmissis: Ergo so sind Ab-
wechselungen in der Natur/ quod totum damus.

49. Et sanè, ut Auctoris observationem, quâ se æsti-
vum calorem deprehendisse asserit admodum languidum
& debilem, paucis quoq; tangamus, scire debebat Dnus
Hauptmannus si non aliunde, saltem ex Hippocrate, non
esse novum ac insolitum, si quando aquilonia æstas ob-
servetur: Nam extitisse eas, quin & australes hyemes,
tempestate dicti Hippocratis, testantur jam tum ejus A-
phorismi 12. & 13. l. 3.

50. Nec minus vacillat altera, quæ subnectitur pro-
batio, sumpta iterum à cœlestibus, quam his verbis pro-
ponit: was können ihr doch zc. wissen/ was nur Sonn und
Mond in ihren Ecclipsibus an ihren Cörpern erlitten/ und
den Naturen der Creaturen vor schaden gethan/ nach dem sie
so viele

so viele congressus und conflictus nimmlich mit einander
ausgestanden. Vis ergo argumenti est, Solem & Lunam
in Ecclipsibus multa esse passa, & ob id non parum
detrimenti cæteris sublunariis attulisse.

51. *Resp.* Ex iisdem causis causatur idem effectus: Si
itaq; Ecclipses aliquid incommodi Naturæ perfectioni
inusserunt, factum id iis crederem temporibus, quibus
& majores & frequentiores fuerunt. In hoc enim ad-
modum fallitur Autor, dum putat, ex istis congressibus
& conflictibus tandem defectum prodire. Nam (lo-
quatur pro me Jonstonius) cum Ecclipsis sit tantummo-
do interpositio Lunæ inter nos & Solem, vel umbræ
terræ inter nos & Lunam, haut minus incommodum ab
aliqua crassa nube, quam Ecclipsi verendum nobis esset.
Quid ergo Ecclipses istæ vel Soli vel Lunæ officerent?
Novimus quod Sol lumen suum non amittat, sed quod
illud Luna inter Solem & aspectum nostrum posita, o-
pacitate sua aliquamdiu intercipiat, quo minus ad nos
descendat, quod & *Bartholinus* habet in *Astrolog.* Ec-
clipses autem nostro tempore esse frequentiores mon-
strum in *Mathesi* est, inquit *Sperlingius* in *Instit. Phys.* con-
sentit *Barthol. problem. ultimo.* *Origanus* in *Prefat. Ephemerid.*
pluresq; alii.

52. Instat Autor ulterius, objicitq; nobis *Dni. Heve-
lii* Autoritatem, ut qui apodicticis demonstrationibus &
rationibus probavit vestigia alterationum & generatio-
num nec in ipso Sole non reperiri, & quidem maculas
monstrari posse, quæ totam Europam, Asiam, vel Afri-
cam operiant.

53. *Resp.* Quod si tandem vires astrorum & cœli, quò
longius à suo Principio removentur, hoc magis langve-
scunt, & perpetuo decursu in occasum eunt, ita ut in
ordi-

ordinatione perseverare nequeant, qui fit, quod in motu nulla haecenus sit observata aberratio? Detur nobis causa, quare ex. gr. Sol virtute calefaciendi debilitata sit, motu verò minimè? Si dicis, fieri id ex variis mutationibus, alterationibus & corruptionibus, ego vicissim quæro, unde istæ sint, & ex quibus causis? Cælum enim, cum sit corpus simplicissimum omnisque mixtionis expers, (ceum quidem haecenus fuit creditum) evidentem præsupponat causam necessarium est, quæ istas varias mutationes inducat. Non autem potest illa esse materia, siue statuatur eadem cum Elementis siue diversa, res eodem recidit, neque enim illa semper meditaturn maleficium i. e. corruptionem *Scal. exerc. 61. f. 2.* Multo minus idem eodem respectu agens & patiens esse per Philosophiam haecenus conceditur. Itaque ad corruptiones siue alterationes si quæ dantur, omninò agens requiritur præter subjectum patiens, quod investigandum.

54. Et ita quidem Physici, imprimis Peripatetici pro cæli constantiâ solent disputare, de quorum tamen placitis Autori statuere, quid velit, per nos esto integrum. Quamvis enim incumbat ipsi, ut petito satisfaciatur, monstrando illud agens, quod alterationes introducat, tamen hoc jam condonemus Autori vel ideo, quod thesi nostræ nihil derogat, si vel maxime concedatur in sole dari maculas, modo obtineamus illas ipsas jam primitus unâ cum Sole extitisse, id quod nobis Autor rursus largiri videtur: Nam *pag. 97.* quando *νεοτερισμὸς* suspicione Dn. Hevelium liberat, observatas eas asserit, jam tum à Cornelio à Lapide; quin & ipse Hevelius (ut idem scribit Hauptmannus) adducit autores, qui similiter maculas deprehenderunt, licet non ita exactè observarint.

55. Ipsas verò maculas, quod attinet, inter alia sic de iis loquitur Hevelius *cap. 5. Selenogr. p. 77.* Solem corpus asperum & inæquale constare arbitror ex multiformibus ac diversi generis partibus, quæ non solum distinctis temporibus dispar habent lumen sed & suum distinctum motum *Et pag. 33.* Asferi potest, maculas in disco Solis contentas nihil esse aliud, quam compactam & obscuram aliquam materiam nostris terrenis nubibus non dissimilem & unà cum Sole mobilem. Quæ utrum hisce temporibus inceperit, an cum prima ævi solaris ætate nata sit, nullibi determinat Hevelius. Verosimilius tamen est posterius.

56. Quo circa tandem, dari maculas in Sole, umbras ac faculas, non impugnat thesin nostram, sed dari illas ex defectu Naturæ, aut ejusdem senio, id si ab Autore probatum fuerit, habet quod nobis objiciat. Deinde & nos unà cum Hauptmanno in quàm plurimis adhuc dubitamus de veritate placitorum Hevelianorum, quorum tamen fidem firmabit fortassis vel hoc, vel aliud seculum.

57. Sed regerit hic Autor *pag. 95. Et 96.* maculas istas circa finem mundi ex defectu Naturæ fore majores ac densiores, ita planè, ut jam manibus quasi prehendere possimus, quod hætenus Spiritui S. in suo verbo credidimus, solem convertendum esse in tenebras, Lunam in sanguinem &c.

58. *Resp.* Cautè hic agit Hauptmannus, dum p. 97. vocabulum *vermuthlich* inserit, (quo expirat *αποδεξις*) ut vel sic probabiliter saltem hoc asseri posse vel credat vel statuatur. Quid si vero ex Hevelio demonstrari possit, alternatim hoc fieri, & sæpè indifferentes maculas existere, modo majores, modo minores, modo menstruo, imo etiam bimestri & trimestri spatio nullas, videatur ipse p.

91. Selenogr.

58. *Selenograph.* Ex quibus tamen tantū abest, ut aliquis ejus nativum interitum & ruinam possit probare, ut potius hoc rideat Hevelius *cap. 6. p. 118.* Qvis, inquit, adeo rudis, qui nesciat & terram nostram corruptibilem æque per tot annos in hac mundana scena extitisse, & ad extremum usq; diem unā cum Sole, Luna & cæteris corporibus æthereis fore duraturam? (An hoc forsan est, quod non sapit palato?) Quin & Chymicis Mercurius universalis, & Dno. Hauptmanno spiritus ille catholicus, vegetator & conservator omnium rerum prolixus est & abundantissimus in Solis substantia, utpote in qua tanquam in propria domo habitat, qui tamen si periret quotidie aut sensim evanesceret cum lumine & igne solari; quærogo medicina universalis esset speranda? hoc præsertim seculo? quæ *Driffeta* & tincturæ *Butleriana* aut *sublucana refrigeria* apud *Vitebergenses*?

59. Probandum igitur hoc erat, non ita impunè ferendum, maculas istas ex defectu virium Naturæ fore densiores. Naturam enim sui ipsius corruptionem appetere, jam supra rejecimus. Quæ vero de Solis obtenebratione & Lunæ conversione ex S. literis hic afferuntur, ea incongruè huc trahi, quivis poterit animadvertere: Quippe confunduntur ea, quæ Naturæ naturatæ competunt ex causis naturalibus, cum iis, quæ *ἰσχυροῦς* eidem accidunt. Novimus quidem ex verbo DEI, quod post tribulationem dierum illorum virtutes cæli sint commovende. Luna etiam erubescet, & Sol contenebrabitur, quin & stelle de cælo cadent. *Matth. 22, 49.* verum naturaliter ea omnia esse futura, id est, quod pernegamus.

60. Atq; ex his judicium fiat de cæteris Scripturæ locis, quæ de retractione lucis stellarū, obscuratione Solis &c. leguntur, quæ quidem defectum quendam in Natura futurum

ruin probant; verum quod ipsa Natura causa sit, ex S.
litteris non elicitur, quin potius omnia illa dicta, quæ tale
quid præfagiunt, de propriis ac proximis novissimi diei si-
gnis intelligenda veniunt. Non aliter ut desolationem
Hierosolymæ antecessit Ecclypsis Solis prorsus miracu-
losa (*Ostendit id Bartholinus in astrol. & Gerhard. in Harmon.
Evang. cap. 10.*) ita finalem mundi vastationem, si quæ talia
præcessura videntur, ad actus DEI miraculosos tutius re-
ferimus, quam ad cursum Naturæ ordinarium.

61. *Gerhardi* Autoritatem dum nobis Autor opponit,
nihil opponit; Novit siquidem, quod aliud sit dogma-
tice, aliud elenchticè aliquid proferre. In concione
fuit, ubi *B. Gerhardus* admonitione publicâ ad pœniten-
tiam voluit incitare Auditores *requirente id ita textu Evan-
gelico Domin. 11. Adventus.*

62. *Psalmum vero 102. quod attinet, nostram thesin ille
non infringit. Peribunt sanè Coeli & veterascent, sed
non ex naturali quadam propensione; Verum sicut vesti-
mentum assumitur ad usum, cessante verò usu rursus deponitur;
ita & cælum, cum numerus Electorum fuerit completus (ut
Gerhardus loquitur) mutabitur quasi vestimentum, quia
iam amplius ad rerum generationem & corruptionem non in-
servit, quod tamen adhuc, nisi Generalem concursum DEUS
subtraxisset, inservire poterat. Unde pergit Psalter:
Et sicut indumentum Tu mutabis eos, quibus verbis mutationis
hujus efficiens indigitatur, quæ non ipsum Coelum, sed
TU, i. e. DEUS, qui creasti illos. Paucis: Mutabuntur &
peribunt cæli, non à vitio quodam inhærente, sed sustentationem
DEO subtrahente.*

63. *Distichon Carminis gratulatorii fontibus Hornhusia-
nis præfixum.*

Natu

Naturam effœtam & primâ virtute carentem

Quisquis ait, miris fallitur ille modis.

utrum id, quod hætenus Hauptmannus, probet, an potius ipsum eat vellicatum, non est ut operose quæramus. Neq; enim (ut cum Æschac Major. loquar) funem in his dividiis duco: Nec esse cupio vel absq; satis datione defensor, vel sine populi suffragio censor. Interim quidnam *prima illa virtus* sit, quid *Natura effœta*, si candide loqui voluit Poëta (ut omninò præsumimus de tanto Viro) vel puer intelligit, qui ex fonte Latinitatis Corvini jam pridem didicit, effœtum id esse, quod exhaustum & continua fertilitate lassatum est: Effœta Senectus daß schwach und matt ist / effœtæ vires die abgearbeitet und ausgemergelt seyn / Primâ virtute carentes die viele nachgelassen haben / i. e. quæ multum à prima degeneraverunt, à prima i. e. prisca, antiqua, robustâ virtute. Ejusmodi verò nullas in Natura agnoscit Poëta, quia Latine scripsit: Et qui eas ponit, illum falli ait miris modis. Excipis quidem: Cum Poëta effœtam Naturam & primâ virtute carentem negat, illum de omnimoda carentia & totali virium defectu id intelligere; Ast ego dico tibi, id non voluisse Poëtam; quod ineptissimus quisq; aliàs non credat omnimodam virium carentiam in Natura, te fatente: Quid ergo opus erat id, quod manifestissime falsum est, & ineptissimus quisq; non credit, in versu redarguere? Manet igitur de partiali illum defectu loqui, nisi tu hoc velis, ineptissime Poëtam egisse, qui id redarguat, quod nemo unquam credidit, ne ineptissimus mortalium. Sed ut orationis operâ compendifaciamus, sequenti Syllogismo eâ includo:

2. Natura vires prorsus negantes tanquam ineptissimos tacendo præterit, & tamen eam effœtam esse dicentes redarguit, ille de partiali defectu loqui credendus est.

*Poeta Naturæ vires prorsus negantes tanquam ineptissimos
tacendo praterit, Et tamen eam effœtam esse dicentes redarguit.*

Ergo. De partiali defectu loqui credendus est.

Tu quando hominem & plantas nobis objicis, frustra es: Natura enim humana, nec illa vegetabilis plantarum unquam defecit, licet ratione Individuorum quædam dentur vicissitudines. Longioris & brevioris vitæ causas, si porro discupis, eas jam antè excussimus, quas, si lubet, ibidem inquire.

64. Et hætenus quidem pro ratione instituti, thesin nostram pro Constantiâ Naturæ defendimus, simulq; argumenta secus sentientium refutavimus, quibus (quamquam veritas absq; alterius suffragio consistere potest) ipsa porrò accedit Autoris confessio, quâ mentem nostram cõfirmat apertè ac roborat. Nam in libro quem scripsit *de viticultura pag. 16.* ita definit Naturam, *quod sit divina Et ordinaria vis cuiq; individuo, tanquam totius generis radici Et stirpi à Deo indita, ut ex eo ad universum earum genus ista vis potest transiret: Nimirum est τὸ fiat Et werde oder der Sees gen des Allmächtigen Gottes/τὸ. Sed hanc vim pag. 17. non dicit cessaturam nisi per τὸ pereat; id verò erit nunquam, nisi ubi actu miraculoso omnia destructurus est Naturæ Autor. Ipse dicis, mansura rerum incrementa & vicissitudines semper & sine intermissione in suis semineis: Sed hocine est dicere Naturam tandem viribus enervandam esse, aut jam enervatam? Profecto aut Naturæ vires adhuc stant integræ, aut vis verbi omnipotentis τὸ Fiat labefactata est. Sed posterius non est: Dann Gottes Wort nicht Kraftlose/leere und vergängliche Menschen-Wort/ sondern kräftige/ und da solche nicht von ihm selbst aufgehoben werden ständig/ ewigwehrende und wirkende Wort seyn / welche da aufrichten worzu sie gesprochen/ p. 17. Naturæ ergo constantiam de*

am de

ii
nu
lius
donec
qui eam p.
ba Autoris p.
schöpff zu ihren
zu noch nach
anfänglich geo
mühen müssen.

66. Quia vero non immediate
Natura, nempe in subjecta materia *uti libro cit.*
net Autor: Ipsa vero materia cum debito tamen ca
adunita, subjectum harum operationum, sic prima illa hy-
le, mirum illud Naturæ *semper unum atq; idem pag. 25.* utiq;
hinc queq; nulla metuenda erit imbecillitas, aut ullus
Naturus morbus. Quippe si materiâ illâ largiter agri in &
sub roseida nebula & pluvialibus aquis irrigati fuerint,
tanto cum fœnore reddent depositum, quanto vix un-
quam & ullo tempore, *ut rursus scribitur pag. 48.* At quo-
modo istæ stare possunt cum illis, quæ de sterilitate a-
grorum & annonæ defectu objectata sunt D. Doct. Kir-
stenio?

veri,
velego.

In am nimium facit labantem
Hauptmannus, creperæ favens Chymix:
Naturam stabilit, facitq; stantem
Bunbartus, solidæ tenax Sophix.
Tantus hic homo, præ suo Sophista;
Quantus ardelio alter est, vel Erro.
Nam si cottidie volet fugacem
Naturam, & proprio ruentem ab ausu
In pejus; puto ter decem ferè annos
Jam natum *Hauptmaniden*, vel esse monstrum,
Vel certè fatuum, merumq; Non - Ens.

RUDIGER Zummarteuffel /
Larvatus p. t. Chymicus.

F I N I S.

Chem. 118.

